coll. 14

Fireworks Plate only Berlin 2902
Bingerhin 4427
Loty page 95

Index to various consignment parts on leaf preceding fireworks plate

Cpl. bk II

Arie.

Muntre Jugend, graues Alter,
Preiſ't des teutſchen Reichs Erhalter,
Die Macht und Huld des Jehovah!
Laſſt uns mit dieſem Wunſch und Beten
Getroſt zum Gnaden=Stuhle treten!
Es leben bis zu ſpäten Zeiten
In Kayſerlichen Herrlichkeiten
Franciſcus und Thereſia!

Chor.

Es leben bis zu ſpäten Zeiten
In Kayſerlichen Herrlichkeiten
Franciſcus und Thereſia!

PANEGYRICVS
AVGVSTISSIMO POTENTISSIMO
INVICTISSIMOQVE PRINCIPI
AC DOMINO
DOMINO
FRANCISCO
ELECTO ATQVE INAVGVRATO
ROMANORVM
IMPERATORI
GERMANIAE ATQVE HIEROSOLYMAE
REGI
LOTHARINGIAE BARII HETRVRIAEQVE
MAGNO DVCI
RELIQVA
IN AEDE DIVI IOANNIS
DIE VIII. DECEMBRIS A. R. S. MDCCXLV
VELVT IPSO EIVS NATALI
EX
AVCTORITATE PVBLICA
DICTVS
A
PAVLLO SCHAFFSHAVSEN
ELOQVENTIAE PROFESSORE.

HAMBVRGI
LITTERIS CONRADI KOENIGII AMPLISSIMI SENATVS ET
GYMNASII TYPOGRAPHI.

NAZARIVS PANEGYR. CONSTANTINO AVG.
DICTI CAP. XXXV.

Longum eſt percenſere beneficia Principis, quae, in orbem ſine modo redeuntia, contexta eius benignitate fulgent, ita infinita numero, commodis magna, vt nunquam obliuione gratiam obductura ſit vel multitudo omnium, vel vtilitas ſingulorum.

MAGNIFICI
CIVITATIS CONSVLES,
SVMME VENERABILIS DECANE,
GRAVISSIMI SYNDICI,
AMPLISSIMI REIPVBLICAE PATRES,

VOSQVE CETERI,

QVOTQVOT VESTRA CONDECORARE
HANC PANEGYRIN
PRAESENTIA


PIVM ET AEQVVM DVXISTIS,

AVDITORES,

ILLVSTRI AC REVERENDA DIGNITATE
EXCELLENTISSIMI,

PRAECLARA ERVDITIONE ET DOCTRINA
ORNATISSIMI,

SVIS QVISQVE NOMINIBVS AC VIRTVTIBVS
HONORATISSIMI.



Ita vero rata habuit vota noſtra! ita vero afflictae tam inopinato, quam acerbo CAROLI VII. glorioſiſſimae memoriae IMPERATORIS e mortali vita exceſſu prouidit Germaniae! ita vero FRANCISCVM, Imperatoriis exornatum PRINCIPEM virtutibus, Caput Patremque Imperio Romano-Germanico

nico clementiſſime conceſſit ſummus rerum humanarum auctor atque moderator DEVS! Eſt hoc profecto ex eorum genere beneficiorum, quae ſumma maximaque accidere nobis potuiſſe intelligimus. Quid enim temporibus hiſce adeo perturbatis, quibus longe lateque bello ardent omnia, nec vel minima adhuc funeſtae calamitatis finiundae ſpes affulget, contingere potuit iucundius, quid exoptatius, quid ſalutarius iurium vindice, libertatis defenſore, pacisque ac concordiae reſtauratore? Quae omnia quum vno de FRANCISCO ſperare nos quam certiſſime iubeat DEI OPTIMI MAXIMI prouidentia: quanta ſimul nobis data eſt laetandi, gaudendi, exultandi materia! Agnoſcit profecto diuinum hoc beneficium laeta venerabundaque mente Imperium Romano-Germanicum. Vix enim TE, DEO COMMENDATISSIME AVGVSTE, datum ſibi eſſe IMPERATOREM, reſciuerat, quum ſtatim omnium in vultu atque facie hilaritatis communis ſe exſereret decus, & quotquot patriae bene cupiebant, TE nunc CAESARE ſaluos, TE NVMINE TVTELARI beatos ſe fore augurandi arriperent occaſionem. Hinc illae ouantium gratae admurmurationes, hinc illa effuſorum in laetitiam animorum ſigna, hinc illi plauſus, hinc illae votiuae acclamationes, quibus tota perſonabat Germa-

ma-

mania, quae nec ad hunc usque diem, in celebritates effuſa, conquieſcit. Quam iucundum, quam gratum accidit omnibus iis, quorum TV iter Francofurtum ad ſollemnia Imperii capeſſenda ſuſcipiens, tranſibas terras atque regiones! Quam exſpectatus deſideratusque TVVS in vrbem Francofurtanam ingreſſus! Quam laeti, quam exhilarati omnes ii, quibus vultum TVVM excelſum, illam de caelo tractam ſpeciem contueri erat permiſſum! Iucundam ſane illius laetitiae, quam ſub Traiani in vrbem Romanorum aduentum conſpectam fuiſſe Plinius narrat, imaginem cernere licuit eo, quo TV Francofurtum ingrediebaris, tempore. Nec aetas quenquam, nec valetudo, nec ſexus retardabat, quo minus oculos auguſto aduentantis Regis, & inaugurandi Imperatoris ſpectaculo impleret. TE noſcere paruuli, contueri iuuenes, admirari ſenes, ipſique morbis ac valetudine aduerſa fracti neglecto medentium imperio, ad conſpectum TVI quaſi ad ſalutem ſuam proripere conabantur. Referta erant tecta, oppletae viae, totaque vrbs incredibili, ad TE conſpiciendum venerandumque aduolantium, multitudine plena ita TE excepit, vt non ſolum illi omnium generum, aetatum, ordinum, omnis fortunae ac loci viri & mu-

 lieres,

lieres, ſed etiam moenia ipſa viderentur, & tecta vrbis, & templa laetari. Nec Francofurtum ſolum, ſed tot aliae Germaniae vrbes, ciuitates, regiones, populi certatim TIBI ſuam teſtari deuotionem, ſua TIBI explicare gaudia, fauſtumque TIBI, ac fortunatum, apprecari contendunt regimen atque imperium.

Hiſce acclamantium vocibus, hiſce congratulantium ſtudiis certaminibusque dum perſtrepunt cuncta, dum aures circumſonant, Hamburgum, illa Auſtriacae domui deuotisſima vrbs, tacita tantummodo mentis veneratione TVAS admiraretur virtutes, TVA proſequeretur merita, IMPERATOR AVGVSTISSIME? Abſit profecto, abſit, vt aut communis ſenſu gaudii careat TIBI, Imperioque Romano-Germanico fidiſſimum Hamburgum, aut eiusdem voluptatis fructu ac magnitudine vlli cedendum ſtatuat, vt cultus potius, quo TE veneratur ac obſeruat, religione, contendat cum omnibus, certet cum maximis. Quare igitur, quam primum laetiſſimus ad nos peruenit nuncius, TE, DOMINE! ad ſummum IMPERATORIS ROMANI euectum eſſe faſtigium, ſtatim ſupplices DEO immortali inter concentus muſicos egimus in templis noſtris gratias, huncque exoptatiſſimum

diem

diem tormentis bellicis ter diſploſis circumtonantibusque, ſollemni ratione populo ſignificauit religioſus vrbis noſtrae Senatus. Neque tamen hiſce finibus, laetitiae ac pietatis, pectori noſtro inſidentis, contineri poteſt amplitudo, quae potius iterum iterumque in publicum prodire, TIBIque Clementissime Imperator, eius, quo TVAM veneratur Maieſtatem, cultus deuotiſſima dare documenta, ac pro ſalute TVA vita nobis noſtra longe cariori, & maximis ac aeternis Sereniſſimarum Lotharingicae et Auſtriacae domuum incrementis ac fortunis vota ſuſcipere quam ardentiſſima hoc praeſertim ſuſtinet die, quo ante hos ſeptem et triginta annos caeleſti munere datus es orbi terrarum, Germaniae inprimis futurus Pater atque Cuſtos. Cuius officii partes quum ab Ampliſſimo Reipublicae noſtrae Senatu mihi ſint demandatae, ego ſane illud quam maxime mihi laetandum eſſe video, quod in tam illuſtri panegyri de TVIS, Caesar Avgvste, virtutibus eximiis, de TVIS laudibus diuinis dicendi mihi naſcatur argumentum. Has vero animo voluens atque verſans, timor ſimul atque trepidatio mentem occupat ac inuadit. Quae enim tanta poteſt exiſtere vbertas ingenii, quae tanta dicendi copia, quod tam excelſum genus orationis, quo quisquam poſſit TVAS virtutes, merita

TVA, TVAS laudes non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando? Dabis igitur illud TVAE, qua Deo hominibusque amabilis es, Imperator Optime, clementiae, dabis illud indulgentiſſimae TVAE comitati, vt licet tantae ſint TVAE virtutes, quae dignis exponi laudibus nequeant, hoc tamen deuotiſſimae religionis, qua TE Hamburgum veneratur, ſacrificium, piaque illa, quae pro ſalute TVA ſuſcipit vota, ad ſolium TVVM Auguſtum accedere permittas.

TVAS vero virtutes, laudes TVAS, Caesar Maxime, enarrare aggredienti mihi, haud anxie diſpiciendum eſſe intelligo, vnde et a quibus initium mihi ſit dicendi faciendum. Sunt enim in TE omnia maxima et prope inſolita atque ſupra mortalitatis poſita faſtigium. Genus ſummum, ſumma pietas, iuſtitia maxima, regnandi non minor prudentia, fortitudo animique conſtantia celſa atque erecta nullisque fracta fortunae caſibus, comitas humanitasque admirabilis, amor in Imperium Romano-Germanicum incredibilis, gratia erga eruditos prorſus ſingularis. Quarum virtutum quum plures rariſſime ſint in vno copulatae principe, ita e contrario in TE ſunt ſumma Dei clementia adeo conſociatae omnes, vt haec TE mentis decora tantundem

ſupra

ſupra ceteros mortales euehant, quantum vel ipſa maieſtatis ſupremae inſignia ſuper reliquos TE extollunt Principes. Quod ſi enim genus TVVM, illos a quibus ortum traxiſti, maiores, in memoriam nobis reuocemus, regia eos dignitate ſtatim cum ipſo, quod a Lothario II. Francorum Rege acceperunt nomine praeditos, Regesque atque Imperatores ſummos maximosque Principes toti dediſſe terrarum orbi, quis eſt quem fugiat? Liceat igitur, de his omnibus nunc paucis monere, Lotharingiam ſub regni quoque nomine Germaniae coniunctam, atque palatii regii praerogatiua gauiſam, a priſcis inde temporibus, in ipſis Romanorum Regibus eligendis atque coronandis multum habuiſſe auctoritatis, ſicque in vnam cum Germania coaluiſſe corporis compagem, vt perpetuum cum ea ſeruare nexum nullo non tempore gloriae ſibi duxerit. Quam autem ex reliquis ſilentio praeterire nefas duco, laus gloriaque haec ei relinquenda eſt praecipua, quod ex hac domo Lotharingica orti ſint inde a RVDOLPHO HABSBVRGICO vsque ad CAROLVM SEXTVM glorioſiſſimae memoriae, omnes ii, qui e domo Auſtriaca prognati Imperio Romano-Germanico praefuerunt omni laudum atque virtutum genere ornatiſſimi Imperatores. Iunxit nempe ſibi matrimonio RATBODVS, Habsbur-

giae comes, ITHAM, Lotharingicam, ex eadem cum GERHARDO Alſatico, a quo Ducum Lotharingiae recentior gens deſcendit, ſtirpe ortam. Hic vero RATBODVS, haec ITHA feliciſſimi illi eorum fuere Habsburgici generis comitum parentes, a quibus ortus eſt praeſtantiſſimus Romanorum Imperator RVDOLPHVS HABSBVRGICVS. Quanta igitur veneratione, quanto religionis cultu extollenda eſt prouida DEI OPTIMI MAXIMI ſapientia, qua factum eſt, vt auſpicatiſſimo TVO, AVGVSTE IMPERATOR, cum Diuina MARIA THERESIA, connubio, hoc, quod VOBIS commune eſt, ſanguinis vinculum adeo feliciter, adeo arcte denuo ſit conſtrictum. Iam profecto, iam diſcimus, curae DEO eſſe Germaniam: nunc certe, nunc proſperrima omnia fortunatiſſimaque ſperare atque polliceri a diuina nobis licet benignitate. Quemadmodum vero vis illa ignea, quae caeleſtibus inſita eſt mentibus, latere atque quieſcere haud facile poteſt; ſed in publicum prodire atque in multorum ſe diffundere commodum vtilitatemque geſtit: ita quoque ea eſt tribuenda Domui Lotharingicae gloria, quod ſuas illa virtutes non ſecum vnice morari voluerit, et ſubiectis prodeſſe tantum Lotharingis, ſed easdem ad communem ſuae ſibique arctiſſimo neceſſitatis coniunctae vinculo domus Auſtriacae, quin immo totius

Im-

Imperii Romano-Germanici, orbisque, qua patet, vniuerſi & inprimis chriſtiani contulerit ſalutem. Sunt enim menti noſtrae ad aeternam infixa memoriam ſumma illa, quibus ſibi fortiſſimus ille Heros, Auus TVVS, CAROLVS QVARTVS, Germaniam deuinxit merita, tum, quum ſuperiore ſaeculo effraenata Turcorum audacia ſacratiſſimam Imperatoriam Sedem, Viennam, hoſtili exercitu inuadere & obſidione premere haud vereretur. Quanta virtute, quanta fortitudine, qua prudentia, coniunctis cum Potentisſimo Poloniarum Rege, & Serenisſimis Bauariae Saxoniaeque Ducibus armis conſiliisque barbarorum tunc inuaſit caſtra, tranſcendit munitiones, ipſisque fugatis disſipatisque hoſtibus felicisſime liberauit obſidione illud Imperii Romano-Germanici, ſanctiorisque, quae Chriſtum veneratur Seruatorem, Reipublicae propugnaculum, Viennam. Quam fortiter, quam ſtrenue, quam feliciter hos ipſos Turcos, Hungariae regno arma inferentes debellauit, munitiſſimas illas, quas occupauerant, vrbes, Strigonium, Budam, Vaciam furori eorum eripuit, itaque adeo barbaras haſce gentes, non ſine inſigni earum clade ex Hungariae finibus expulſas eiectasque, ſuas repetere terras coegit felicisſimus ille Heros CAROLVS QVARTVS. Nec haec profecto omnia ſunt, quibus excel-

lunt diuini, a quibus ortus es, maiores, merita atque virtutes. Tantus eſt eorum numerus, ea amplitudo, vt ſi omnia digna explicare vellem ratione, difficile mihi foret, huius inuenire orationis exitum.

Tantis quum ſis prognatus, DOMINE, Maioribus, haud difficile erit de TVIS coniecturam facere virtutibus. Inter has ipſas vero grauisſima ſanctisſimaque, qua flagras, in Deum pietas, ad TVI praecipue admirationem venerationemque nos allicit, trahit, rapit. Noſti videlicet, RELIGIOSISSIME IMPERATOR, & a Parentibus TVIS religioſisſimis tenera iam traditum TIBI aetate tenes, pietatem fundamentum omnium eſſe virtutum, hacque ſublata, fidem etiam & ſocietatem humani generis tolli, nec vllam, euerſa religione, ſaluam eſſe, dignitatemque ſuam tueri poſſe rempublicam. Hinc omnium ſemper rerum a Deo capere initium, nullumque unquam diem, vel maxime ſollemnem, niſi adorato Numine, ſacrisque ei factis tranſigere ſolitus es: caeleſtique adeo TVVM eſſe impletum pectus religione, & TVIS & exteris, quibus propius noſſe TE contigit, quam plurimis comprobaſti documentis.

Quum vero pietas in Deum aſſiduam habere

bere ſoleat comitem excellentiſſimam iuſtitiae virtutem, quae id hominibus tribuit, quod Deo pietas, quid mirum, Domine! quod hac quoque ita excellas, vt ad TE, tanquam Devm, miſeri afflictique ac iniuria confugiant oppreſſi? Hoc enim ipſo, Serenissimae Domvi TVAE quam maxime propriae virtutis genere, gloriam eius non tueri modo, ſed ſuperare quoque, Deoque adeo, cuius geris imaginem, ſimillimus euadere contendis. Cuius quidem animi indolis ſtatim ſub auſpicatisſimum Imperii, poſt mortem Patris TVI beatisſimae memoriae ſuſcepti initium hac dediſti re teſtimonium, quod, quum nonnullos priuatorum hominum haud paucas Principi proprias ad ſe traxiſſe poſſesſiones animaduerteres, quas TV TIBI aerarioque publico aſſerere nitebaris, quumque hoc ipſo laudabili facto nonnullorum commoueri intelligeres animos, illud haud quaquam propoſitum TIBI eſſe publice declarares, vt ſubditorum TIBI attribueres bona, quae potius tueri, iisdemque integra ſeruare decreuiſſes ac intacta, ſed ea tantummodo TE TIBI vindicare velle, quae iure patrio TIBI debeantur, et de quibus ratio a TE Sereniſſimis ſit reddenda poſteris. Et quam firmum, iuſtum, ac aequi tenacem hoc ipſo TE in negotio praebuiſti! Neque enim eorum, qui ſanguine Ducali orti erant, Princi-

pum, nec inferioris conditionis nobilium a conſilio TE TVO reuocare poterant voces. Haud enim in adminiſtranda iuſtitia hominum eſſe rationem habendam noueras, quum haec ex earum genere virtutum ſit, cuius primum munus eſt, vt ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuria, deinde vt communibus pro communibus vtatur, priuatis autem vt ſuis. Sic igitur cuſtodem TE demonſtraſti iuſtitiae, illius, quae perpetuae commendationis et famae eſt fundamentum, virtutis, et ſine qua nihil pium, nihil rectum, nihil laudabile eſſe poteſt.

Hac ipſa vero, qua excellis, DOMINE, iuſtitiae gloria comprobaſti, quantum valeas conſilio, quantum rerum gerendarum prudentia, in qua ipſa ineſt quaedam imperatoria dignitas. Quibus enim illuſtrioribus hanc ipſam teſtatam reddere potuiſſes argumentis, quam factum eſt iis, quae ſub regiminis Ducalis auſpicium a TE edita eſſe meminimus. Prudentiſſima profecto et Principe digna viro vox erat, quae a TE audiebatur tum, quum omnibus viribus, ſtudio ſummo TE daturum eſſe operam affirmares, vt pium, iuſtum, aequum TE experirentur Principem, quibus imperabas, ſubditi. Quanta igitur cura, quanta ſollicitudine, qua ſapientia eum TE exhibuiſti ſubditis Principem, qualem TE futurum ſperare

rare

rare ipſos iuſſeras. Haud profecto meliore aut faciliore ſubditorum perſpicere conditiones ratione, et quae ipſis ſint ſaluti, ac emolumento, diiudicare poteſt Princeps, quam ſi grauiſſimum hoc negotium haud ſoli amicorum ſuorum permittat curae, ſed ipſemet in ſubditorum inquirat ſtatum rationesque, et de iisdem aut emendandis aut promouendis ſit ſollicitus. Praeſtitiſti, CAESAR OPTIME, hoc ipſum Principis officium, eoque adeo tanquam documento illuſtri atque publico TVAM confirmaſti regnandi prudentiam. Neque enim memoria noſtra exceſſit praeclarum illud, quod ſuſcepiſti, negotium, quum ſaepiſſime eo, quo TVA Lotharingiam exhilarabas exoptatiſſima praeſentia tempore, terras TVO ſubiectas imperio, inſciis tum amicis, tum ſubditis, ſolo Fratre CAROLO, illo incomparabili Heroe, itineris ſocio, peragrares, et in ſubditorum TVORVM, quos patris inſtar amabas, conditiones ſalutemque data inquireres ratione. O eximium! O Principe dignum factum! Adeo iſto iam tempore oſtendiſti, quae et quanta de TE polliceri ſibi poſſet, quam nunc glorioſiſſime moderaris, Respublica Romano-Germanica. Neque vero hoc exſtat vnicum illius, qua conſpicuus es, regnandi prudentiae documentum. Nam, ſi vel alia nunc praetereo, qua quaeſo ratione

ſubditorum melius aut felicius conſulere potuiſſes fortunis, quam ſaluberrimo illo feciſti conſilio, quo eos amicorum TVORVM, qui duplici fungebantur munere, declarare iubebas, quodnam ſibi ex iis adminiſtrandum relinqui potiſſimum cuperent; quandoquidem caeteros illos, quorum exſtarent in TE TVASque terras merita, digno meritis eorum remuneratos velle modo ſignificabas. Ita vero maioribus quotidie certiſſimisque Patriae Patrem TE commonſtrabas exemplis, hisque illud ſimul efficiebas, vt tanquam Patrem TE colerent ac venerarentur, qui TVO ſubiecti erant imperio, populi. Et ſi haec etiam, quae omnium tamen ore celebrantur, TVAE in gerendis rebus ſapientiae minus cognita eſſent exempla, tamen vel hoc vnicum ſufficeret, quod Circumſpectiſſimus ille Princeps, Carolvs Sextvs, beatiſſimae memoriae, TE, Domine, dignum iudicauerit, cui Hungariae regnum ſua vice, auctoritate ſua regendum committeret. Hic igitur, hic, inquam, ſumma illa, quam in TE poſuerat Carolvs Sextvs, fiducia; hic, hic praeſtantiſſimae illae, quae in TE fulgebant, virtutes, in illuſtrisſimo poſitae monumento, conſpiciebantur. Quas igitur quum ad ſalutem atque commoda Hungarorum gentis promouenda prudentiſſime conferres, quid mirum, quod tanto

gau-

gaudio, tanta laetitia, acclamationibus tantis TE exceperit, atque etiamnum excipiat Hungarorum populus.

Eſt aliquis clarus in pace, ſed obſoleſcit in bello: nec ſemper cum inſigni rerum gerendarum vſu coniuncta eſſe ſolet ſcientia rei militaris. In TE vero, Imperator Maxime, ſumma regnandi prudentia cum bellicarum rerum peritia amico eſt coniuncta foedere, haecque TVA propria laus eſt, non minus gentibus imperare, quam exercitus bellicos regere et tueri. Haec, haec grata virtutum, quibus ornatus es, coniunctio adeo probata eſt Diuo Imperatori Carolo Sexto, vt TIBI, cui populos iam regendos commiſerat, exercitus quoque tuendos traderet, Supremumque TE belli Legatum conſtitueret. Neque minus collocatae ad Glorioſiſſimi Imperatoris exemplum in TE ſpei teſtimonium dederunt ſacri Imperii Ordines, quum illud ſequuti grauiſſimam Summi militiae Praefecti dignitatem TIBI committerent, quam quidem maximus ille, quo iam tum in Rempublicam Romano-Germanicam flagrabas, amor iure quodam ſuo ſibi poſtulare videbatur.

Adeo enim inſigni ſtupendoque hunc TVVM in illam amorem teſtatum feceras do-

cumento, quo maius ac excellentius fingi aut excogitari nullum poteſt. Quid hominibus, quid Principibus inprimis dulcius eſt patrio ſolo, quid gratius patriis auitisque terris? Ea iam erat rerum conditio, vt cum cariſſima TIBIque deditiſſima Lotharingia TVA, quae quidem non ſine lacrymis inſignique ac ineffabili maerore animi TE Dominum ſuum haereditarium dimiſit, aut aliae commutandae terrae, aut Reſpublica Romano-Germanica diuturnioris exitioſiſſimique belli exponenda eſſet periculo. Qui haud ea, qua TV ornatus es, animi celſitudine roboreque ſolido praeditus fuiſſet Princeps, ſuas ſibi ſeruare regiones, reliqua vero fortunae committere decreuiſſet. Sed TV, qua es animi prudentia, quo iam tum conſpicuus eras in Imperium Romano-Germanicum amore, TVA potius negligebas regna, terras patrias, vt Rempublicam Germanorum ſartam et a belli tempeſtate ac iniuriis tectam ſeruares. Ita nouo iterum exemplo TVA illa emicabat animi magnitudo, quae communem humanae ſortis conditionem longiſſime ſuperat atque vincit. Ita certiſſimo iam tum documento demonſtraſti, Deo et Imperio TE ſtudere, Deo et Imperio Acceptissime Imperator, qui ſanguinem pro Deo et Imperio nullo vnquam tempore TVVM dare ac effundere recuſaſti.

Eſt

Eſt haec virtutum, amico ſocietatis vinculo ſibi iunctarum vis, ea conditio, vt vna inflammata ceterae haud quieſcant, abditeque latentes communi ſe ſubducant ſaluti; ſed ſociatis viribus, iunctisque ſibi auxiliis exſerere ſe, ſuamque ament oſtendere pulchritudinem, praeſtantiam ſuam, ſuam dignitatem. Eminet inter has ipſas virtutes quaedam earum ſpecies, humanitatem facilitatemque quam dicere ſolent ſapientes, ita comparata, vt ceterae illae, hac deſtitutae, ſuam aegre poſſint tueri auctoritatem, ipſa vero reliquis admixta, gratiam eis conciliet atque ſuauitatem. TV, qui omnibus excellis virtutibus, IMPERATOR SVMME, hanc quoque, qua DEVM praeſertim delectari nouimus, adeo TIBI propriam reddidiſti facilitatem, vt de principatu eius cum AVGVSTO, illo Humaniſſimo Imperatore, contendere videaris; et quid dico videaris? vere contendas. Iam deſinant mirari homines, quod ita in TE amando colendoque certarint tanti, quos in itinere conſtitutus, inuiſiſti Reges, Principes, populi: quod tanto TE venerandi, ſuamque TIBI teſtandi pietatem reuerentiamque deſiderio flagrarint Angliae Regni Primores. Haec, haec, inquam, qua ornatus es, caeleſtis virtus, omnes, qui faciem TVAM, illamque effulgentem in vultu TVO ſerenitatem contuentur, ad TE, AVGVSTO-

rvm Clementissime, amandum, ad TE colendum, ad TE obſeruandum impellit, et dulci quadam vi, impetuque ſuaui ducit atque trahit. Ita facilitate, ita comitate, ita humanitate Regum, Principum, populorum TIBI conciliare ſtuduiſti, hodieque ſtudes mentes animosque. Ita hoc ſimul hiſce TVIS meritus es virtutibus, vt non ſolum Potentiſſimus Magnae Britaniae Moderator, ſed Chriſtianisſimus quoque Galliarum Rex, ſed Sereniſſimus Nouemuir Moguntinus, Franciscvs Lotharivs, beatiſſimae memoriae, ſed alii, quos in itinere conſtitutus ſalutaſti, ſummi Principes pluribus vnis documentis, quanto dignus ſis amore, quanta veneratione, olim iam fuerint teſtati.

Sed nec Muſas ea, qua TE venerabilem reddidiſti, carere paſſus es, gratia, liberalitate, clementia. Quum enim Ipſe litterarum ſtudiis ſis quam maxime imbutus, et quicquid ad illa ſpectat mirifice colas amesque, tum eos quoque, qui ceteros eruditione ac doctrina antecellere laborant, diligis, defendis, foues, tueris. Cuius inſignis TVI in litteras earumque cultores amoris certiſſima maximaque dediſti documenta non eo ſolum tempore, quo exteras nationes, terrasque alias prudentisſime perluſtrabas, hacque occaſione mores

gen-

gentium, regionum ſitus, opportunitates locorum, formas regiminum diuerſas curatius noſſe contendebas ac perſpicere; quanquam tum quoque eum, quo litteras complecteris, amorem hac ipſa re teſtatus es, quod adeo facilem TE comemque praeberes, quum incluta, quae Londini floret, ſcientiarum ſocietas, quando TVA eam dignabaris praeſentia, membris TE ſuis adſcriberet: ſed nouo hac noſtra aetate, hoc ipſo, quo viuimus, anno TVAM erga litteras gratiam confirmaſti argumento. Quum enim ii, qui Piſtoiam, nobilem illam ampliſſimamque Tuſciae TVAE ciuitatem, incolunt eruditi, TIBI id, quod de condenda ſcientiarum academia ceperant, conſilium modeſtiſſime aperirent, hoc ipſum laudabile inſtitutum non ſolum ſuffragio quam facillime TVO approbaſti, TIBIque gratum illud eſſe teſtatus es atque acceptum, ſed, en! nouum TVAE in eruditos clementiae ſingularis documentum! hanc ipſam quoque academiam in fidem atque clientelam recepiſti, TVVMque eandem ſperare iuſſiſti praeſidium maximum. Praeclarum profecto factum, atque TE, Tanto Principe, dignum!

Ita igitur, in TE, Imperator Maxime! enitent ac coruſcant virtutes imperatoriae omnes. Ita, meritorum TVORVM gloria

ſummus maximusque dici mereris Princeps. Quas praeclariſſimas TVAS animi vere Regii dotes virtutesque quum videret Prudentisſimus Imperator CAROLVS VI, glorioſiſſimae memoriae; quid mirum eſt? quod filiam TIBI ſuam natu primam ac principem, illam tantarum gentium tantorumque populorum tum haeredem, iam Reginam Auguſtam, eam, in quam omnia, quae vel a DEO vel a virtute exſpectari poſſunt bona, cumulatisſime ſunt collata, et in qua praeter formam atque ſpeciem nihil ineſſe humani videtur, Magnam illam, MARIAM THERESIAM, TIBI, inquam, SVMME PRINCEPS, connubii foedere coniugem iungere, ſanctumque adeo illud, quod cum EA iam TIBI commune erat ſanguinis vinculum, amplius adhuc conſtringere magisue firmare decreuerit. Quum enim VESTRA, quod ſupra iam meminiſſe officii mei fuit, gente omnes ii, qui inde a RVDOLPHO HABSBVRGICO vsque ad CAROLVM VI Imperio Romano-Germanico ſumma cum laude praefuerunt, e felicisſimo RATBOTHI cum ITHA connubio prognati Imperatores, fuerint orti, tum inprimis hoc ipſum cognationis foedus auſpicatisſimo illo, quod cum Serenisſima Principe ELEONORA MARIA, LEOPOLDI Sapientisſimi Imperatoris ſorore, atque MICHAELIS Poloniarum Regis vidua, contraxit Auus TVVS felicisſimae

me-

memoriae Carolvs Qvartvs, connubii vinculo ſancitum firmiusque fuit redditum.

Ita ſanguinis foedere iuncti virtutum quoque, Genti Vestrae Serenissimae propriarum, ſplendore coruſcabatis; itaque et ſanguis et virtus fortunatisſime ſunt Vestro Auſpicatisſimo connubio in Vobis denuo copulatae. Quam enim ſancta, quam caſta, quam religioſa, Avgvsta, quam nunc ſalutamus, Mater feruet in Devm pietate! Quanta animi patientia, quanta in Summo Numine fiducia vel aduerſisſimos tulit rerum caſus! Quanta animi ſubmisſione ſi quid proſperi eueniſſet, Deo id ſoli tribuendum cenſuit! Hinc, quum Eam e Bohemiae regno Viennam reducem, feſtiuis ignibus excipere, illamque, qua ob fortunatum Auſtriacorum armorum ſucceſſum adficiebantur, laetitiam variis hilariorum publicorum generibus explicare teſtarique vellent fidiſſimi Viennae vrbis ciues, haud quaquam id permiſit Religiosissima Princeps. Haud enim aequum eſſe affirmabat, eo tempore, quo Res Publica Germanica belli furoribus concuteretur, alia ratione, quam ſollemnibus pro praeſtito auxilio redditis Deo gratiis, ſua exprimere gaudia, ſuam teſtatam facere voluptatem. Ita ſpem ſibi omnem, omnem fiduciam in Deo eſſe poſitam, atque ab Eo Ipso omne Se auxilium, bellique, quod Germaniam tanto-

F pere

pere vexat, finem ſperare teſtata eſt REGINA SAPIENTISSIMA. Ita premi SE quidem omni ex parte ſenſit quam ſaepiſſime, nunquam tamen virtutem plus quam heroicam, nunquam excelſam animi magnitudinem paſſa eſt aut frangi aut opprimi. Ita tam aduerſis, quam ſecundis rebus eandem SE eſſe, eandem quoque in poſterum fore luculentiſſime oſtendit.

Bellum parare, ſimul, et aerario parcere, cogere ad militiam, quos nolis offendere, domi foriſque pari omnia curare ſtudio, negotiisque et domeſticis et externis ſimul intentum eſſe, arduum profecto opinioneque eſt ſublimius, neque niſi ab eo, in quo cum religioſa in DEVM pietate iuſtitia prudentiaque regnandi eſt coniuncta, praeſtari poteſt. Praeſtitit vero id ipſum CONIVX TVA PRVDENTISSIMA, CAESAR OPTIME, idque ita praeſtitit, vt Femina, vt Regina ſine exemplo maxima dici iure quodam ſuo mereatur. Quanta enim prudentia, coniunctis TEcum, AVGVSTE, conſiliis, ea, quae ad rerum domeſticarum procurationem ſpectant, negotia in ordinem redegit! quanta animi circumſpectione eos ſibi adſciuit rerum gerendarum adminiſtros amicoſque, quorum cognitas habebat virtutes, pietatem, fidem, prudentiam! quanta ſapientia, quanto conſilio, quanta celeritate in conficiendis iis, quae ad feliciter proſpereque bella gerenda, neceſ-

ſaria

ſaria ſunt, vſa eſt rebus! quam facili nutu Hungaros ſuos, et tot, quos antea ne quidem nouimus, populos ad ſui defenſionem allexit! quam promtos pronosque ad ſubſidia pecuniaria, iis, quae ipſa rogauerat, maiora, ſua ſponte ſubminiſtranda, omnes et ſingulos experta eſt ſubditos!

Sicuti vero iuſtitia rerumque gerendarum vſu admirabilis eſt MARIA THERESIA, CONIVX TIBI, IMPERATOR INVICTISSIME, virtutibus ſimillima; ita manſuetudine, facilitateque prorſus diuina, nec amicis tantum, ſed ipſis quoque, qui bellum cum EA geſſerunt, Principibus amabilis ſemper eſt viſa. Adeo enim ori, vultui, oculis, totique corporis formae inſidet atque innata eſt ea, qua ſplendet, humanitas comitasque; eumque in modum cum ea, quae Principes decet, grauitate ſeueritateque coniuncta eſt, vt, qui AVGVSTAE huius MATRIS faciem, effulgentemque in vultu plus quam humanam Maieſtatem intuetur, quid primo loco, quid ſecundo mirari debeat, neſcire ſe profiteatur, neutrum verbis laudibusque exprimere ſe poſſe ſentiat. Quae vero humanitas maior eſt, quae gratia illuſtrior, quam ſi Princeps honoris ſibi debiti partem quaſi quandam tribuere ſubditis videtur? Sed fecit hoc quoque, nouumque adeo inauditae gratiae praebuit argumentum, DIGNISSIMA IMPERATRIX. Nullum

potius nomen Principibus maiori iure debetur auguſto illo, quo PATRES ſalutantur. Hoc autem ipſo ſplendidiſſimo nomine plus ſimplici vice Illuſtriſſimum Hungariae Palatinum, Comitem de Palfy, ab HVMANISSIMA REGINA, quae alias non niſi MATRIS alloquutione ſubditos ſuos compellare conſueuit Ipſa, condecoratum fuiſſe admirabundi percepimus. Et quis praeter haec ſummis laudibus non extolleret, quis non ſumma animi veneratione coleret obſeruaretque incredibilem illam tot ſcientiarum, tot linguarum peritiam, illam in litteras omnes, in primis vero hiſtoriam et prudentiae vniuerſalis atque iuris publici doctrinam, propenſionem, illamque, vt ſummatim loquar, virtutum, quibus fulget CELSISSIMA IMPERATRIX, MARIA THERESIA, omnium concordiam? Ita profecto eſt! TVAE, TVAE illae, DIVINA PRINCEPS, laudes, virtutes TVAE non Germanorum ſolum, ſed paene omnium gentium litteris atque linguis celebrabuntur. Illa certe vita eſt TVA, quae vigebit memoria ſaeculorum omnium, quam poſteritas alet, quam ipſa aeternitas ſemper tuebitur. Obſtupeſcent profecto poſteri, imperia, prouincias, pugnas innumerabiles, monumenta, triumphos audientes et legentes TVOS, vixque fidem habebunt rebus a TE geſtis atque patratis, etiamſi absque fuco, ſine verborum apparatu magnifico, nude atque aperte enarrentur. Ita igitur,

AV-

Avgvstissima Imperatrix! virtutibus TVIS, TVIS animi dotibus id es aſſequuta, vt omnes Proauorum TVORVM, omnes exterarum gentium, potentiſſimorumque populorum, omnes clariſſimorum Regum res geſtae, cum TVIS, ſiue contentionum ſpectemus magnitudinem ac numerum, ſiue rerum conficiendarum celeritatem, ſiue animi denique conſtantiam, eam tamen, quae a ſtabili ſolidaque pace nunquam abhorruit, conferri atque comparari vix poſſint. Ita ſane id es meritis adepta TVIS, vt ſis, vt praediceris, vt ſerae quoque ſiſtaris poſteritati generis humani deliciae, et illa, ſi quam orbis terrarum vnquam vidit, abſolutiſſimae virtutis effigies.

O igitur nos felices! o nos beatos! quibus ſub Tantorvm Principvm, Tanti Imperatoris, Imperatricis Tantae moderamine ac imperio viuere contigerit. Laetare, laetare iam, tantoque, quod in Francisco atque Maria Theresia largitum Tibi eſt ſummum Numen, bono laete hilariterque fruere Germania, tuque inprimis dilecta patria, Hamburgum. Quam turbulenta, quam triſtis, quam tremenda erat Imperii Romano-Germanici facies tum, quum CAROLI VII ad caeleſtes ſedes diſceſſu capite ſuo orbaretur Germania. Quam cito autem, quam feliciter exaudiuit vota noſtra Devs, eundemque nobis dedit Succeſſorem, quem certatim omnes efflagitauimus, quo melior praeſtantiorque fingi nullus

poteſt, et ſub cuius potiſſimum auſpiciis pacem Germaniae orbique terrarum nunc tandem redditum iri, ac quietem deinde publicam florentem vbique videre, quidquid etiam flagrantis adhuc belli incommoda ſperare nos cohibent, DEO tamen melius prouidente ominari nobis haud obſcure licet. Iam igitur Tu inprimis, respublica Hamburgenſis, in his, in quibus ſita es, Germaniae finibus, quaeuis tibi fauſta, fortunata quaeuis polliceri potes; quandoquidem de eo gloriari Tibi licet Numine tutelari, cuius glorioſiſſimos Maiores gratiam clementiamque SVAM nullo non tempore tibi quam largiſſime contuliſſe, haud ſine demiſſa animi veneratione recordaris. Tanta igitur atque adeo inſignia bona, quum in FRANCISCO atque MARIA THERESIA et tibi et patriae communi reddiderit indulgentiſſimus DEVS, quid magis pium? quid aequius? quid religioſius eſt? quam vt tu, vt nos ciues tui, tantorum beneficiorum memores, hoc potiſſimum die ſupplices DEO repetamus publice, quas ante hos tres menſes ſtatim iam egimus, gratias; ſimulque vitam ac incolumitatem IMPERATORIS, imperiique et huius vrbis ſalutem, eidem quam obſequioſiſſime reuerentiſſemeque commendemus.

TIBI igitur, DEVS OPTIME MAXIME, TIBI, Reipublicae Romano-Germanicae Conditori ac Defenſori, nos quam ſubmiſſiſſime obſtrictos, ac deuinctos eſſe fatemur, propterea quod adeo clementem, adeo benignum, adeo

bene-

beneficum nobis, Imperio Romano-Germanico, orbique vniuerſo TE praebuiſti, eumque nobis conceſſiſti IMPERATOREM, quem TVAS imitantem virtutes, nos fouere, defendere, tueri, et velle et poſſe quam certiſſime confidimus. Pergas, quaeſumus, CAELESTIS PATER! rerum humanarum MODERATOR CLEMENTISSIME, propitius ſemper eſſe AVGVSTO, quem nobis dediſti, CAESARI, et, quae in ſinum eius confugit, reipublicae Germanicae. Serua, tuere, cuſtodi SANCTISSIMVM VNCTVM TVVM IMPERATOREM, Eiusque CONIVGEM AVGVSTAM, tot populorum tot regnorum matrem dilectisſimam. Serua IMPERATORIS, ſerua imperii Maieſtatem, terrae, qua patet vniuerſae, adhuc quam maxime venerabilem. Fac, o PACIS PRINCEPS, vt compoſitis bellis, conciliatisque ſibi orbis Principibus, pace fruamur perpetua, ſalutari, glorioſa, Ianique templo clauſo Pacifici nomine orbi innoteſcat FRANCISCVS IMPERATOR. Nec permitte, vt ſuaue illud gratumque concordiae, inter caput et vniuerſa membra mutuae, qua demum gloriam dignitatemque ſuam Germania tueri, ac quoscunque irritos reddere valet inſultus, vinculum vnquam diſſoluatur; ſed, compoſitis ac funditus eradicatis diſſenſionibus, firmius potius arctiusque id ipſum conſtringi, perpetuumque ac perenne eſſe, iube. Quemadmodum etiam AVGVSTVM AVGVSTAMVE noſtram feliciſſimae ſobolis iam reddidiſti Parentes; ita amplius EOSDEM hac

ipſa

ipſa exhilares, quaeſumus, felicitate, vt vbertate ſtirpis aucta GLORIOSISSIMA DOMVS LOTHARINGICO-AVSTRIACA virtutem, fortunam, gloriam ſuam, vna cum heroo ſemine ſanguineque, filiis poſterisque Sui quam ſimillimis, transdat, Germaniaeque nunquam deſint Imperatores e ſanguine tam glorioſo orti. In primis protegas, velimus, AVGVSTAM MATREM, vterum geſtantem, partumque longe cariſſimum, EANDEMque puerperam reddas feliciſſimam. Serves ILLAM, oramus, ſerues iterum iterumque precamur, IMPERATOREM, TIBI dilectum: huncque, quem hodie feſtum nobiscum agit, diem ad ſeros vsque annos laetiorem EI ſemper felicioremque redire; ſicque ſub exoptatisſimo hoc Capite ſaluam eſſe iubeas Germaniam, ſaluam religionem, ſaluas litteras, ſalua terra marique commerciorum negotia, ſaluam denique hanc LOTHARINGICO-AVSTRIACAE DOMVI deuotisſimam rempublicam, propugnaculum Germaniae, Hamburgum. Ita demum CAESAREM, noſtri amantiſſimum, CELSISSIMAM IMPERATRICEM, AVGVSTAMQVE SOBOLEM, et in primis SERENISSIMVM IVVENTVTIS PRINCIPEM, IOSEPHVM, foue, ita ſerua, ita protege, ita omnibus gratiae TVAE bonis EOS redde cumulatiſſimos, vt perfectisſimum maximae ſummaeque felicitatis exemplum, FRANCISCVS ET MARIA THERESIA, prolesque tantis tamque magnis PARENTIBVS digna, vltimique demum temporis gaudium, ornamentum, deliciae ſint atque celebrentur.

Bey der

auf das Allerhöchſte

Krönungs=Feſt

Ihro Römiſch=Kayſerlichen Majeſtät

Franciſci

an Dero

höchſt=erfreulichſtem

Gebuhrts=Tage

gehaltenen

feyerlichen Rede

abgeſungenes

Oratorio.

Hamburg, den 8ten December, 1745.

Gedruckt und zu bekommen bey Conrad König, E. Hochedl. und Hochweiſen Raths Buchdrucker.